



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 9011888X

§. 37. Angliæ Regina in fidei odium a Puritanis vexata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

§. XXXVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1636.*Angliæ Regina in fidei odium a Puritanis vexata.*

Jam anno hujus sæculi vigesimo septimo Prædicantes Angli Carolum Regem assiduis suis querelis ac calumniis eo induxerunt, ut cunctos Sacerdotes natione Gallos sub falso conspirationis obtentu e Regno ejiceret: his vero nondum contenti Puritani, non modo Catholicos contra juratam promissionem ipsis factam hoc anno conscientie libertate spoliari, sed etiam ipsimet Reginæ Mariæ Henrietæ Ludovici Galliarum Regis Sorori suum Confessarium, insuperhabitis ejusdem lamentis, & lacrimis amendari curarunt. De tanta impietate vehementer querebatur Franciæ Rex, verum nec datæ fidei sanctitas, nec coronati verticis reverentia, nec Reginæ suæ gemitus poterant Puritani cordis duritiem flectere, nullum ergo aliud afflictæ restabat solatium, nisi ut saltem literis, quas etiam summo in silentio mittere cogebatur, miserorum more, doloris sui acerbitatem apud conscientiam suam arbitrum panderet, ac deploraret. Huic ergo Regina ita percripserat „Venerande Pater: Oro & supplico, ut Deum pro me

Khevenhill.
p. 2095.
Vid. supra
l. 195. §. 58.
t. 58. p. 541.

H 2 „exo-

Sæc. XVII. „exores: Absdubio nota tibi sunt om-
 A. C. 1636. „nia, quæ hucusque in me attentata
 „sunt: omnium, quæ hic degunt, crea-
 „turarum miserima sum; nullum enim
 „omnino, cui me confidam, penes me
 „habeo, ac desolata inter tam barba-
 „ram gentem vivere cogor: nulla mihi
 „post Deum præter Matrem meam,
 „spes alia superest: huic ergo, Reve-
 „rende Pater, exponas velim miseriam,
 „& amaritudinem, qua premor, &
 „immori compellor, nisi eam ample-
 „ctendi mihi copia detur. Puritani e-
 „nim, eoquod me Catholicorum sub-
 „dio destitutam cernant, meæ etiam
 „conscientiæ tantam vim inferunt, ut
 „præ desperatione mori exoptem: Deus
 „tamen adjuvabit me, nec de hoc du-
 „bito: nil quidem intentatum, inau-
 „sumque relinquunt, ut me in conscien-
 „tia mea perplexam reddant, aut hisce
 „assultibus, nonnisi firmior in Catho-
 „lica fide efficior: Oret Deum pro me,
 „lacrimarum copia, & singultuum vio-
 „lencia plura scribere prohibent: inte-
 „rim custodiat te Deus &c.„ Hi erant
 questus illustrissimæ cujusdam Reginae
 contra subditos suos Calvinistas, qui
 nequidem a minimo, & ex sæce plebis
 vilissimo in suæ sectæ exercitio se tur-
 bari, permittunt, sed jactatam con-
 scientiæ libertatem etiam armis contra
 legi.

legitimos suos Principes sumptis vindicant, eam vero, licet jurato promissam Regiæ Principi proterve denegant. Nempe apud eos conscientia libertas iam in usitatum Principes suos opprimendi, & Catholicos exterminandi obtentum evasit.

Sæc. XVII.
A. C. 1636.

§. XXXVIII.

Caroli I. Regis Angliæ editum de nova Liturgia in Scotia Regno recipienda.

Anno priori Carolus Ludovicus, ejusque Frater Robertus Principes Palatini Londinum advenerant, Angliæ Regis opem imploraturi, ut pristinae dignitati, bonisque restituerentur: quoniam vero jam antea Ferdinandus Imperator datis literis Angliæ Regem certiore reddidisset, quod de hujus negotii successu haud dubitandum esset, quamprimum Angliæ Legatus in Palatinorum causa Viennam mitteretur, hinc Carolus Rex unacum Palatini Principis epistola Thomam Howardum Arundeliæ Comitem Lintzium ad Cæsarem, alium vero Legatum ad Franciæ Regem, & demum Josephum Averium ad Oxenstirnum Sueciæ Cancellarium ablegabat. Rei tamen gravitas, atque opinantium dissimilitudo

Jæger.
Hist. Eccl.
l. 6. c. 6.
Rapin Thoyras Hist.
d' Angl. l. 19.